


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Martis vigeſimo-octavo Novembris M. DCC. XLI.

M. LAURENTIO FERRET,
Doctore Medico, Chirurgiæ Gallico Idiomate
Profeſſore deſignato, Præſide.

An Dolor à ſolutâ unitate morbus?

I.



DOLERE & pati, reæ gentis humanæ ſtipendium: jugum commune, violentum: pœna pro rebellionis ratione. Ideò ut vitam à doloribus auſpicamur, ſic ab eâ vi dolorum ejicimur. Medii temporis curſus vix motu tranquilliore peragitur: niſi contingit indolentia, perpetua ferè dolorum ſucceſſio eſt. Hunc enim ſi dividunt deliciæ, quanti brevis emitur aura voluptatis! fons eſt fermento vitiatus, ut etiamſi quid incidat dulce, protinùs amareſcat. Utroque carere melius: nam voluptatem emere dolore non eſt lucrum, ſed penſatio. Beatus ille

qui minimis urgetur malis. Ut autem omnes eadem non manet nox, ſic dolor non idem. Morbus eſt qui de corio humano variè ludit. Modò ſilentio ſubit infidus, modò ſævit aperto marte truculentus. Foris aggreditur aliquandò cutim inquietaturus, aliquandò ſedens in alto nobile viſcus tangit. Nunc parti fixus hæret, aliàs mobilis totum corpus pervagatur. Infelices ægri! ſeu vexent eos longi doloris tormenta, ſeu acuti, morſus. Sunt queis adhuc vitæ portio manet aliqua, dum periodicè repetens dolor, iis quaſdam dat inducias; alios adeò aſſiduus urget, ut illis pœna ſit totum quod vivunt. Ad hæc, præter ſinceros dolores quos fateri cogitur etiam Stoica patientia, ſæpe dolemus ad opinionem, & tam æger eſt quiſque quàm credit. Triſte morbi genus, & plus quàm corporeum! ex parte mentis, ſentias quid ſit potiùs quàm definias. Ex parte corporis, juxtà veteres & recentiores nonnullos, in ſolutione continui conſtat; cui ſententiæ nec ratio conſentit, nec favet experientia. Cauſa cognoſcitur ab effectibus. Doloris effectuum igitur habenda ratio. Inter hos (*a*) inquies, jactatio, vigiliæ, febris, calor, ſitis, ſiccitas, convulſio, gangræna numerantur.

(*a*) *Boerrhaave Aphoriſ.*

I I.

DUM dolet homo, natura ipſius alteratur & corrumpitur, inquit Hippocrates. Non enim ad evertendam ſanitatem ſemper opus eſſe exiſtimes ut priùs vitientur humores, ſanguiſve copiâ redundet. Hæ ſunt cauſæ morborum valentes, non ſolæ. Quid enim non aſportat mali dolor? pulſat æquè robuſtum ac imbecille corpus, neque meliùs conſtituto parcit. Sic in venæ ſectione è brachio, puncto nervo vel tendine, quot mala non naſcuntur, doloris effectus? conveniunt ſimul, inquies, jactatio, &c. Quot etiam non ſurgunt ſymptomata dum dentes præſertim canini teneris infantibus erumpunt? ſimul ac illi gingivis mollibus ut totidem terebræ inſtant, protinùs inſanus oritur dolor, magna pars effectuum ſequitur, ingruunt pavores in ſomno, fiunt diarrhœæ cum torminibus, aut ſtringitur alvus, accedunt aſthmata, catarrhi ſuffocantes, epilepſiæ lethales. Si vermes in ventriculo, inteſtiniſve nidulantes, adeò ſenſiles tunicas morſibus lacerant, in conſenſum rapitur nervorum ſyſtema, machina convellitur. Quid etiam non movet calculus ureteri inhærens? Iniquo ſpatio incluſus ille, ſtationis impatiens, multis etiam horridus aculeis, perfodit ſummo cum dolore partem hanc cui natura ſenſum dedit exquiſitum; hinc nauſea, cibi faſtidium, vomitus, frequens ructatio, tormina, alvi ſtrictio, urinæ ſtillicidium, ægra ſpinæ flexio, torpor cruris tot hujus mali comites individui ſunt. Quin à dolore calculi acerbiori, fiunt urinæ ſuppreſſio, pulſus febrilis, enumerati doloris effectus. Si calculus è cyſtide felleâ protruſus, biliariis ductibus impactus eſt; dextrum hypocondrium implet cruciatibus, angitur æger, penè ſuffocatur intercepto ſpiritu, noctes ducit inſomnes, alvum duram habet atque ſtrictam, pulſumque contractum, extremis alget partibus, vomendi conatu fatigatur. Aſt in partu quid non metuendum à doloribus? laborioſè parturienti ſurgit ſymptomatum ilias: ut ſpiritum ducat infans, penè mater expirat. Nec adeò magnis opus eſt ad movendas tot perturbationes. Spina pedi infixa, deglutita acicula, acûs punctura, ungues incautè reſecti, clavus pedum improviſè ſectus, ambuſtio partium nerveo tendinoſarum ſufficiunt ut exinde tanti in machinâ corporeâ motus cieantur, tantæ excitentur procellæ, Adeò natura patitur & minimis!

III.

PORRO tot ſymptomata ſoluti continui non ſunt effectus. Ideò enim ſanè dolorem naturæ autor videtur inſtituiſſe, ut eo moniti atque velutì ſtimulo excitati, ad ea quæ nobis noxia ſunt avertenda præſto eſſemus. Doloris igitur ſenſatio tunc tantùm excitatur, quando periclitamur. Facto enim damno ſi doleremus, inane eſſet monitum, irritum incitamentum. Quin ſatiùs eſſet malum latere, elapſâ ipſi occurrendi occaſione, quàm mentem damni cognitione fruſtrà torqueri. Verùm tollit omne dubium experientia, cognitâ partis dolentis naturâ & indole. Fibra eſt, etiam minima, nervea, è cerebro orta; hæc nativo donatur elatere, ſciſſa ſtatim fit brevior, contrahitur. Fibra igitur in ſui contractionem nititur ſemper, ſemper indocilis extenſionem pati. Simplicem quantumvis illam ſupponas, organicam tamen, & cum aliis vel connexam, vel continuatam fibris concipies. Simul his collectis, fit fibrarum congeries, faſciculus; iiſdem legibus ac fibra ſimplex obnoxius. Pungatur ille, naſcitur dolor, ſequuntur doloris effectus. Undenam? Dum pungitur faſciculus, fibræ quædam ſolvuntur aliis remanentibus integris. Igitur quoad totum, faſciculus vim naturalis tenſionis cum minori fibrarum numero quàm anteà ſuſtinendam habet; Quoad partem, fibræ ſolutæ ſeſe contrahunt, trahunt & integras quibuſcum nectuntur, tendunt extrà modum; violentus eſt ſtatus, fit irritatio, ſolutio proxima, dolor. Fibra enim nervea, mentem inter & corpus dulce ſocietatis vinculum, utriuſque pœna fit ingrato ſollicitata motu, cerebro communicat impreſſionem, mens intenditur, excutitur è tranquillitate; commotâ animi contentione, fit oſcillatio vehementior, commotio diuturnior, validior tenſio. Sic à cerebro ad partem affectam, ab hâc ad illud, mutuâ & communicatione & repercuſſione, mens & corpus afficiuntur. Hinc puncto nervo vel tendine tot mala naſcuntur, doloris effectus. Verùm non in fibrâ ſolutâ, at in integrâ, vicinâ, mox ſolvendâ, tanquam in ſubjecto hæret doloris ſenſus. Indè everſo officiorum ordine, dirutâque partium ſanâ & naturali conſpiratione, ſumma imis immutantur.

IV.

NEC adverſatur experientia rationi, quin alteram altera funditùs ſtabilit. Factâ ſectione puncti nervi vel tendinis, æger à cruciatibus ſæviſſimis liberatur, quibus ante ſectionem immanè vexabatur. Tot igitur ſymptomata ſolutionis continui non ſunt effectus. Aliàs quò major eſſet fibrarum ſolutarum numerus, eò vividior foret ſenſus doloris, eò effectus vehementiores. Erupto è gingivâ dente, queruli cauſa doloris evaneſcit; cedit & methodo non ſatis laudandæ quâ ferro vel ungue ad parandum dentibus exitum gingivæ aperiuntur. Si vermes inteſtinorum tunicas morſu vellicantes, amaris oleoſiſve pharmacis, ſeu depromptis è mercurio medicamentis necantur, aut fugam moliri coguntur, ceſſat illicò tot ſymptomatum vehementia; ſublatâ enim cauſâ tolluntur effectus. Quod manifeſtius eſt in quibuſdam febribus acutis quæ primo intuitu portenti aliquid minantur, quorum ſymptomata magnum Medico negotium faceſſunt, niſi in primo morbi inſultu perſpicax ille emetico catharticove ventriculum aut inteſtina abluerit. Hâc methodo ſæpe vermes expelluntur, tot anxietatum jactationumque cauſa. Nunc, dum calculus mole vel figurâ veſicam fatigat, Quid lithotomiâ præſtantius! excuſſo pondere, ſublatâ aſperitate, veſica ſui juris fit, nervorumque ſyſtemati reddit pacem. Eâdem ra-

tione ubi laboriosè parturiens mulier uteri latens onus deposuit, quasi vitæ reddita exultat doloris oblita sui. Quin & in male conformatâ, naturam operando inhabilem opere juvat Ars. Viam viæ substituit. Cæsareâ operatione fœtum educit, per uteri latus salvus salvâ matre extrahitur infans qui per collum nullo modo egressurus erat. Sic mulieri dies adduntur, quæ aliàs erat inter dolores animam efflatura. Igitur solutione continui factâ minuitur tensio valida, irritatio, dolor.

V.

EX his abundè liquet quantas in corpore turbas excitat, dùm nos aggreditur, dolor. Quàm & corpori paulatìm exhauriendo inimicas, & animo è sede suâ disjiciendo funestas. Hinc verum adagium, ubi dolor ibi morbus. Nec minùs patet in solutione continui dolorem non esse, verùm fieri ubi partium sensu præditarum adeò valida est tensio, ut in proximo solutionis periculo versentur. Eâ ratione turbas movet, idiopathicè aliquandò, aliquandò sympathicè tantùm. Licet autem unus sit, & in fibrâ tantùm nerveâ sedem obtineat, pro diversitate tamen causarum ipsius, & morborum quorum frequens comes est, diversas affectat facies, semper aliquid discriminis allaturus. Sic in pleuritide pungit, urit in nephritide, torquet in colicâ, rodit in cancro, prurit in scabie, tundit, lacerat in syphilide, in arthritide discruciat. Ab effectibus tam diversis doloris causa nunc intelligitur. Multiplex assignari potest, (b) 1°. Vis naturalis contractionis paucioribus fibris sustentata, dùm quædam solutæ sunt. 2°. Quod vas fibris nervosis contextum nimis replendo distendit ut obstructio, plethora, cacochymia abundans, motusque circularis auctus. 3°. Quod vi distrahit ut luxatio, tumor, vis externa. 4°. Omne vulnerans & rodens. Dolorum igitur fomenta erunt sectiones, quæ citâ manu, instrumentisque acutissimis celebrari debent. Medicamenta vacuantia, sanguinis & humorum impetum sedantia. Extraneorum corporum ablatio, ea quæ vim habent emolliendi & laxandi. Hæc enim dùm partes nerveas à causâ quâcumque tensas molliores & laxiores efficiunt, tensionis remissione solutionis periculum removent.

(b) *Boerrhaave Aphoris.*

Non ergo dolor à solutâ unitate morbus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Josephus de Jussieu.

M. Henricus - Franciscus Bourdelin, Scholarum Professor.

M. Antonius-Joannes Daval.

M. Robertus - Hubertus Linguet.

M. Petrus Roussin de Montabourg, Consiliarius Medicus Regis ordinarius, nec non Urbis Regiæ Regiique Nosocomii San Germani in Layâ.

M. Achilles - Franciscus Fontaine.

M. Thomas - Bernardus Bertrand, rei Herbariæ Professor.

M. Camillus Falconet, Saluberis Consilii Regii Socius, & è Regiâ Numismatum Academiâ.

M. Hyacinthus - Theodorus Baron, Antiquus Facultatis Decanus.

Proponebat Parisiis JOANNES - FRANCISCUS ISEZ, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1741, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1741.